

pacata ubique regnat quies ac tranquillitas! ut omnes, quotquot sunt, boni & amantes Reip. cives quasi ex longa recreati malorum serie plaudunt sibi ac triumphant!

Mihi verò, P. C. quem in sedanda tempestate non inanem operam posuisse arbitrati sunt, quam frequenter, quam honorificas gratulationes universi Reip. Ordines decreverunt! Quis habendas mihi gratias non putavit, quòd viveret, quòd luctuosam suæ sobolis fortunarumque suarum perniciem non vidisset? quòd domesticos intra Penates tranquilla pace frueretur?

Me-ne vester Ordo amplissimus solemni supplicatione decorandum tanquam parentem patriæ & conservatorem hujus urbis censuisset, nisi perensisset omnino, quanta interfectis, quicumque vestrum exitium machinabantur, perniciosi civibus, utilitas in omnes redundasset?

Valeant ergo, qui me crudelitatis ac sævitæ accusandum putant; caveantque diligenter, ne, dum apertos Reip. hostes intempestivis querelis requirunt acerbius, arctiori, quam par est, odiosa cum ipsis necessitudinis vinculo conjuncti videantur.

ARTICULUS VII.

De Antithesi, Permissione, Parenthesi.

Quid est Antithesis, ut est Figura Sententiarum, & ab Antithesi, seu Antitheto, quæ est Figura Verborum, distinguitur?

R. Est Figura, qua non tantum verba verbis, sed sententiæ sententiis opponuntur, ut pro Rosc. Amer. n. 13. Accusant ii, qui in fortunas hujus invaserunt; causam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt. Accusant ii quibus occidi pa-

trem Sex. Roscii bono fuit; causam dicit is, cui non modo luctum mors patris attulit, sed etiam egestatem. Accusant ii qui hunc ipsum jugulare summe cupierunt, causam dicit is, qui etiam ad hoc judicium cum presidio venit, ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur. Denique accusant ii, quos populus poscit; causam dicit is, qui unus relictus ex nefaria cede restat. Egregium ejusdem Figuræ exemplum ibid. n. 88. quod vide.

Pro Cœl. n. 12. Habuit ille (Catilina) sicut meminisse vos arbitror, permulta maximarum non expressa signa, sed adumbrata virtutum. Ucebatur hominibus improbis multis; & quidem optimis se viris deditum esse simulabat. Erant apud illum illecebra libidinum multe; erant etiam industria quidam stimuli ac laboris. Flagrabant vitia libidinis apud illum; vigeant etiam studia rei militaris. Quis clarioribus viris quodam tempore jucundior? quis turpioribus conjunctior? quis civis meliorum partium aliquando? quis rector hostis huic civitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior? quis in largitione effusior? Illa verò, Judices, in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare quod habebat, servare temporibus, suorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, scelere etiam, si opus esset, & audacia; versare suam naturam, & regere ad tempus atque huc illuc torquere & flectere; cum tristibus severe, cum remissis jucunde, cum senibus graviter, cum juventute comiter, cum facinorosis audacter, cum libidinosi luxuriose vivere.

Item pro Ligario n. 15. pro Lege Manil. n. 28.

Quid est Permissio?

R. Est

R. Est Figura, qua Orator bonitate causæ suæ fretus quædam judicibus aut adversariis æstimanda permittit, & statuendi facultatem largitur. Hæc Figura eadem pœne est cum Concessione, nisi quòd illa multò gravior & acerbior est, ut Philippica 2. num. 5.

At beneficium sum usus tuo? quo? . . . Quòd me Brundusii non occideris, quem ipse victor, qui tibi, ut tu te gloriari solebas, detulerat ex latronibus suis principatum, salvum esse voluisset, in Italiam ire jussisset, cum tu occideres? Fac potuisse. Quòd est aliud, P. C. beneficium latronum, nisi ut commemorare possint iis se dedisse vitam, quibus non ademerint? Quòd si esset beneficium, nunquam ii, qui illum interfecerunt, à quo erant servati, quos tu ipse viros clarissimos appellare soles, tantam essent gloriam consecuti. Quale autem beneficium est, quòd te abstineris à nefario scelere? Qua in re non tam jucundum mihi videri debuit, non interfectum à te, quam miserum, id te impune facere potuisse. Sed sit beneficium, quandoquidem majus obtineri à latrone non potuit, in quo me dicere potes ingratum? An de interitu Reip. queri non debui, ne ingratus viderer, &c.

Et Catil. 1. num. 10. Catilina, perge quòd cepisti; egredere aliquando ex urbe; patent porta, proficiscere. Nimum diu te Imperatorem illa tua Manliana castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos, purga urbem.

Et pro Flacco n. 10. Litemus igitur Lentulo, parentem Cethego, revocemus ejectos; nimia pietatis & summi amoris in patriam vicissim nos pœnas, si ita Diis placet, sufferamus.

Habes alia Permissionis exempla de Provinc. Conf. n. 8. & n. 16. in Vatin. n. 11.

Le Jay, Tom. I.

Quid est Parenthesis?

R. Est Figura, qua Orator breviter declinat à proposito, & non nihil alicujus continui partibus interjicit.

Est autem hæc Figura tam frequens apud Ciceronem, ut pœne supervacaneum sit exempla in medium proferre.

Divin. in Ver. n. 28. Quare negent; ex me non audies; hos patere id suspicari, quòd necesse est. Illi quidem (ut est hominum genus nimis acutum & suspiciosum) non te ex Sicilia literas in Verrem deportare vellet arbitrantur, &c.

2. in Ver. n. 15. Sed video quid agat (neque enim agit occultissime) proponit inania mihi nobilitatis, hoc est arrogantium hominum nomina.

2. Philip. n. 16. At etiam ausus es, (quid est autem quòd tu non audeas?) Clivum Capitolinum dicere, me Consule, plenum servorum armatorum fuisse.

Ibid. eodem numero. O miserum, sive illa tibi nota non sunt (nihil enim boni nostri) sive sunt, qui apud tales viros tam impudenter loquar.

Et pro Sextio n. 25. & 49. in Pisonem n. 72.

EXERCITATIO.

Divæ Genovesæ Heroibus quibuscumque illustrior.

Per Antithesim & Permissionem.

SYNOPSIS.

Exord. Flet per Permissionem, ultroque patietur Orator jactari ab admiratoribus antiquitatis præcos Heroas, qui nominis sui memoriam factis illustribus consecrarunt.

Propositio. Dicit, Divam Genovesam feliciorum fuisse, licet diversam omnino viam ab iis tenuerit.

Confirmatio. Per Antithesim. Comparabit

bit Beatae Genovesae vitam & agendi modum cum vita factisque veterum Heroum. Illius modestiam cum horum ambitione, illius otium pacificum, cum sollicitis horum laboribus; illius de seipsa victoriam, cum edita ab his hostium strage, &c.

Confirmabit deinde, comparando per alias Antitheses gloriam, quam sibi Genovesa peperit, cum illa laude, quam praefici Heroes meruerunt. Haec fragilis ac caduca, illa solida ac sincera, haec brevis, illa sempiterna, &c.

Concludet, Dicendo Deum mirabilem extitisse in Illustranda Sanctorum gloria, ut mortales suum ad obsequium & amorem illiceret.

O R A T I O .

Permifio. Parenthesis.

Jactet enim verò ambitiosa vetustas Heroas suos, & futuris aetatibus pergat magnificentius ostentare. Praedicet, (nam quis hoc illi leve solatium inuideat?) exantlatos ab iisdem labores, & edita passim bello facinora, quibus immortalem, si Superis placet, gloriam apud posteros meruerunt, insolentius efferat.

Ecce ignobilis Puella laboravit illis omnibus felicius, & sublimius quoddam laudis honorisque fastigium ascendit. Ac licet diversam penitus ab iis tenuerit viam, qui memoriam sui nominis in omni tempore consecrare studuerunt; licet nihil sit ab ea gestum cum fastu, nihil palam aut per ostentationem, tamen post emensum semel vitae curriculum bellatorum omnium decus ac famam tanto superavit intervallo, quanto illi, dum viverent, Genovesae tenuitatem atque obscuritatem superabant.

Agite enim verò, B. Genevesam cum tot clarissimis viris, tot famosis orbe toto nominibus, immensos eorum labores cum pacifico illius otio conferamus. Illi acrioribus parandae sibi gloriae stimulis incensi ad magna

Antithesis.

quaque ferebantur. Illa uno sui deprimendi studio stimulata, quod erat abjectum cumque ambiebat, illi res suas magno cum fastu palam & ubique jactabant. Illa festabatur hoc unum, ut lateret. Illi armorum praesidio ad nominis sui commendationem abutebantur. Illa perpetuis apud Deum precibus atque obsecrationibus indulgebat. Illi suscitabant hostes sibi quos vincerent, ut partem ex victoria gloriam consequerentur. Illa nullum sibi, nisi cum vitis, bellum volebat esse, & meritam ex eorumdem strage laudem uni Deo refererebat. Illi populorum caede ac sanguine venturis olim aetatibus innotescere quaesierunt. Illa assidua corporis sui afflictatione soli placere Numini cogitavit. Illi rerum a se gestarum titulis atque inscriptionibus, erectis ad pompam ex aere vel marmore monumentis breves aevi mortalis angustias compensare conati sunt. Illa impressis ubique virtutum suarum vestigiis, quam vixit olim vitam ad haec usque nostra tempora meliori fato prorogavit.

Vicerunt illi quidem ex parte rueris omnia ac labefactantis temporis injurias, & aliquam apud nos retinent nominis sui commendationem. At vicit illas multo felicius Genovesa, & illustriorem apud hominum memoriam locum obtinet. Narrantur hodieque res ab illis laudabiliter feliciterque gestae; at in plerisque rerum istarum gloriam ingrata recordatio vitiorum obscurat. Genovesae memoria sic apud nos recolitur, ut nulli labe corrupta, sed grata penitus occurrat. Illorum cineres sine honore contempti jacent; nullumque a nobis cultum sibi vindicant. Pretiosae illius reliquiae omnium venerationi proponuntur. Nihil illi possunt hominum causa, neque jam benemereri de quoquam valent.

Ge-

Genovesa suum ultrò impertit ab alto praesidium, & se clientum precibus patitur exorari.

Verè tu mirabilis, o Deus, tu colendus ante omnes & amandus, qui mortales miseros sic extollis, & leve fragilis obsequii munus, ingenti laudis nunquam interiturae pretio compensas.

A L I A E X E R C I T A T I O .

Mutius Scaevola Romanus ad Porfenam Clusinum Regem, cum Scribam ejus, pro Rege ipso interfecisset.

Per Permissionem.

S Y N O P S I S .

Exord. Romanum se esse hostemque Porfenae fatebitur, eoque accessisse consilio, ut ipsum interficeret.

Deinde per Permissionem admonebit Porfenam, ut statuat de ipso, quidquid volet, sibi interim exarandam videri manum illam quae erraverat.

Mox per eandem Figuram jubebit Porfenam exemplum sumere ex ea severitate, qua errorem suum plecteret, quam grave supplicium ipse vicissim de Mutio statueret.

Concludet per eandem Figuram, Porfenam admonendo trecentos esse Romanos juvenes, qui facinus idem audeant.

O R A T I O .

Romanus civis ego sum, quem Mutium vocant, hostis hostem occidere volui. Non mihi ad caedem, vel meditantam consilium, vel perficiendam animus defuit; neque etiam ad plectendam, quae erravit, manum aequitas deerit. Proinde tu de me statue, ut voles; nihil moror. Interim de me ipso, aut de hac potius, quae me sefellit, manu quid statuam, vide. Errorem illa suum vindicibus flammis expiabit, &

Permifio.

solvet ipsa poenas, quas irrogare tibi debuisset. Et quoniam facti illius honorem, cui fuerat devota per me, non adepta est, illam deinceps, tanquam vile & inane membrum reputo, & a reliquo corpore rescindi volo.

Jam disce vel ex me, quid te facere oporteat. Age, facinus vindica, iras acue, enses expedi, laccra, perure, jugula, mille in partes divide, nostro te sanguine exstia; non erit ad mortem minus animi, quam fuit ad caedem. Non me suppliciorum acerbitas terret, aut tortorum furor incutiet metum. Et facere & pati fortia Romanum est.

Permifio.

At unum moriens te monitum volo. Non unus in te ego hos animos gessi; longus post me ordo est idem ambientium decus. Unus eorum aliquis, spero, si non in agendo me fortior, saltem in perficiendo felicior futurus est. Proinde in hoc discrimen, si juvat, accingere, ut singulas horas de capite dimices tuo, ferumque & hostem habeas in vestibulo Regiae. Hoc tibi Juventus Romana indicimus bellum. Nullam aciem, nullum praedium timueris; uni tibi & cum singulis res erit.

A R T I C U L U S V I I I .

De Deprecatione, Optatione, Exclamatione, Epiphonemate & Exclamatione.

Quid est Deprecatio seu Obsecratio?

R. Est Figura, qua alicujus opem aut misericordiam Orator vehementer implorat. Opem quidem, ut pro Rabirio Perd. num. 5. Quae cum in a sint, primum, quod in tanta dimicatione capitis, fama fortunarumque omnium fieri necesse est, ab Jove

Optimo, Maximo, caterisque Diis Deabusque immortalibus, quorum ope & auxilio multo magis hac Resp. quam ratione hominum & consilio gubernatur, pacem ac veniam peto, precorque ab iis, ut hodiernum diem & ad huius salutem conservandam, & ad Remp. constituendam illuxisse patiantur. Deinde vos, Quirites, quorum potestas maxima ad Deorum immortalium Numen accedit, oro atque obsecro, quoniam uno tempore vita C. Rabirii, hominis miserrimi atque innocentissimi, salus Reip. vestris manibus suffragiisque permittitur, adhibeatis in hominis fortunis misericordiam, in Reipub. salute sapientiam quam soletis.

Et pro Domo sua n. 146. Quapropter, si Diis immortalibus, si Senatui, si Populo Rom. si cuncta Italia, si Provinciis, si exteris Nationibus, si vobismetipsis, qui in mea salute principem locum auctoritatemque tenuistis, gratum ac iucundum meum reditum intelligitis esse, queso obsecroque vos, Pontifices, ut me, quem auctoritate, studio, sententiis restituitis, nunc, quoniam Senatus ita vult, manibus quoque vestris, in sedibus meis collocetis.

Egregia est ibid. n. 144. Deprecatio, qua Jovis, Junonis, Minervæ & Vestæ opem implorat.

Illustris etiam multo magis locus ille 7. Ver. n. 183. quo Tullius omnium omnino Numinum fidem & opem implorat adversus Verrem, qui simulacra illorum eripuerat, delubra violaverat, Religiones polluerat. Legendus totus, qui omititur hic à nobis, quia prolixior est.

Habes alia Deprecationis exempla ad implorandam opem comparata, pro Quinctio n. 10. pro Rosc. Amer. n. 11. 6. Ver. n. 113.

Valer etiam plurimum Deprecatio ad excitandam misericordiam,

ut pro Mil. num. 92. Quid restat, nisi ut orem obsecroque vos, Iudices, ut eam misericordiam tribuatistis fortissimo viro, quam ipse non implorat, ego autem repugnante hoc & imploro & exposco. Nolite, si in nostro omnium fletu, nullam lacrymam aspexistis Milonis, si vultum semper eundem, si vocem, si orationem stabilem ac non mutatam videtis, hoc minus eî parcere; atque haud scio an multo etiam adjuvandum magis.

Et pro Flacco n. 106. Qui vos, quoniam est id atatis, ut sensum iam percipere possit ex mœnore patrio, auxilium nondum patri ferre possit, orat, ne suum luctum, patris lacrymis, patris mœnore suo fletu augetis. Qui etiam me intuetur, me vultu appellat, meam quodammodo flens fidem implorat; ac repetit eam, quam ego patri suo quondam sponderim pro salute patriæ dignitatem.

Est & hæc præclara Deprecatio pro Muræna n. 86. Quæcumque sint, Iudices, primum Reipub. causa, qua nulla res cuiquam potior debet esse, vos pro mea summa, & vobis cognita in Remp. diligentia, moneo, pro auctoritate Consulari hortor, pro magnitudine periculi obsecro, ut oratio, ut paci, ut salutem, ut vitam vestram & caterorum civium consulatis: deinde ego fidem vestram & defensoris & amici officio adductus, oro atque obsecro, Iudices, ut ne hominis miserum & cum corporis morbo, tum animi dolore confecti Luc. Muræna recentem gratulationem nova lamentatione obruatis. Modo maximobeneficio Populi Rom. ornatus fortunatus videbatur, quod primus in familiam veterem, primus in municipium antiquissimum Consulatum attulisset; nunc idem squalore sordidus, confectus morbo, lacrymis ac mœnore perditus, vester est supplex, Iudices, vestram fidem

obtestatur, misericordiam implorat, vestram potestatem ac vestras opes inruetur. Nolite, per Deos immortales, Iudices, &c.

Alia sunt ejusdem Deprecationis exempla pro Quinctio n. 97. pro Rosc. Amer. n. 150. pro Cluentio num. 200. pro Dejotato n. 9.

Adhibetur hæc potissimum Figura in Perorationibus; quia nata est tota ad movendos affectus, quod præstat vulgò in Peroratione.

Quid est Optatio?

R. Est Figura, qua Orator vehemens aliquod desiderium significat, ut 5. Ver. n. 81. Unus adhuc fuit, post Romam conditam (Dii faxint, ne sit alter) cui Respublica tota se tradidit, temporibus coacta, malis domesticis, L. Sylla.

Et pro Lege Manili n. 27. Utinam, Quirites, virorum fortium atque innocentium tantam copiam haberetis, ut hæc vobis deliberatio difficilis esset, quemnam potissimum tantis rebus ac tanto bello præficiendum haberetis!

Et pro Rab. Perd. n. 18. Utinam hæc mihi facultatem causa concederet, ut possem hoc prædicare C. Rabirii manu L. Saturninum hostem Populi Rom. interfecit!

Valer hæc Figura plurimum, ad spem, dolorem, timorem & amorem significandum. Sed frequentius usurpatur apud Poetas, quam apud Oratores.

Quid est Execratio seu Imprecatio?

R. Est Figura, qua Orator malum alicui imprecatur, ut 6. Phil. num. 12.

Igitur est Patronus L. Antonius? malam quidem illi pestem; clamori enim vestro assentior: non modo hic latro, quem clientem habere nemo velit, sed quis unquam tantis opibus, tantis rebus gestis fuit, qui

Le Jay, Tom. I.

se Populi Romani victoris dominique omnium gentium tutorem dicere audeat?

Et Phil. 13. n. 48. Quin tu abi in malam pestem malumque cruciatum! ad te quisquam veniat nisi Ventidii similis?

Valer hæc Figura ad significandum odium & indignationem: sed usurpatur illa rarius ab Oratoribus, quam à Poetis.

Quid est Epiphonema, seu Acclamatio?

R. Est species quædam Exclamationis, qua Orator rei narratæ vel probatæ pronunciatum aliquod, instar coronidis subjicit ex superioribus expressum. Ita Tullius pro Sextio num. 86. postquam docuit oportere legibus ac judiciis vitam tueri; quod si fieri non potest, vim vi propulsandam, subdit. Hoc sentire prudentia, facere fortitudinis; sentire verò & facere, perfecta cumulateque virtutis.

Ita pro Milone num. 9. postquam laudavit adolescentis cujusdam pudicitiam, qui Tribunum Militarem Imperatoris propinquum sibi vim inferentem interfecerat, hoc addit, Facere probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit.

Sic & paradoxo 1. Cum parsimoniam multis extulit laudibus, concludit. Dii immortales! non intelligunt homines, quam magnum vestigal sit Parsimonia!

Egregia est etiam illa Acclamatio Ciceroniana v. Ver. n. 176. Ubi cum probasset missum Romam à Verre frumentum fuisse Siculorum pecunia emptum, cum ipse pecuniam publicam impunè sibi servasset, hæc adjicit. O consuetudo peccandi quantam habet iucunditatem in improbis & audacibus, cum poena absit, & licentia consecuta est!

G 3 Et

Et Ver. 6. n. 8. Sed quid ego tam vehementer inuehor? verbo jam uno repellar; Emi, inquit, o Dii immortales præclaram defensionem! Mercatorem cum imperio ac securibus in Provinciam misimus!

Aliud exemplum sufficit Orat. in Pison. n. 93. loquens de Militibus, qui, non invento Pifone, quem interficere volebant, deturbarant ac comminuerant ipsius statuam, ait.

Sic odium, quod in ipsum attulerunt, in ejus imaginem ac simulacrum profuderunt.

Usurpatur autem hæc Figura præsertim in rebus quæ sunt admiratione dignæ, ad commendationem vel commiserationem excitandam.

Quid est Exclamatio?

R. Est Figura, qua Orator vehementem aliquem affectum significat, cujuscumque tandem generis ille sit.

Nihil tam obvium apud Ciceronem quam hæc Figura: quare satis habebimus illustriora quædam illius exempla tantum designare.

Pro Rosc. Amer. num. 146. Per Deos immortales! Quæ ista tanta crudelitas est? quæ tam fera immanisque natura? quis unquam predo fuit tam nefarius? quis pirata tam barbarus, ut cum integram prædam sine sanguine habere posset, cruenta spolia detrahere mallet?

Pro Cluent. num. 15. O mulieris scelus incredibile & præter hanc unam in omni vita inauditum! O libidinem effrenatam & indomitam! o audaciam singularem! non timuisse, si minus vim Deorum hominumque famam; at illam ipsam noctem facestque illas nuptiales, &c.

1. Catil. num. 9. O Dii immortales ubinam gentium sumus? quam Rempub. habemus? in qua urbe vivimus?

Pro Flacco num. 102. O nox illa,

quæ panem æternas huic urbi tenebras attulisti, cum Galli ad bellum, Carthilina ad urbem, conjurati ad ferrum & flammam vocabantur! . . . O Nonæ illa Decembres; quæ me Consule fuistis; quem ego diem verè natalem hujus urbis aut cerè salutarem appellare possum! O nox illa, quam iste est dies consecutus, fausta huic urbi miserum me h metuo; ne funesta nobis!

Habes alia hujus Figuræ exemplâ 5. Ver. num. 137. 6. Ver. num. 146. Pro Cluent. num. 48. Pro Sylla n. 91. Pro Sextio num. 27. Pro Cœlio n. 59. 71. In Pison. n. 41. Pro Milone num. 104. & 105. 2. Phil. n. 16. 54. 68. 8. Phil. n. 23. 29. 10. Phil. n. 8. 11. Phil. n. 8.

Interdum est Exclamatio Ironica, & tunc magnum leporem habet. In Pisonem num. 58. Non est integrum Cn. Pompejo consilio jam ut tua erravit enim; non gustat istam tuam Philosophiam. Ter jam homo stultus triumphavit. Crasse, pudet me tui! quid est, quod confecto formidolosissimo bello coronam illam lauream tibi decerni volueris à Senatu? P. Servili, Q. Metelle, C. Curio, P. Africane, cur non hunc audistis, tam doctum hominem, tam eruditum, priusquam in istum errorem induceremini. . . . O stultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos, o amentem Paullum, rusticum Marium, nullius consilii patres istorum amborum Consulum, qui triumpharunt!

Et pro Balbo n. 20. O præclarum Interpretem Juris! Auctorem antiquitatis, correctorem atque emendatorem nostræ civitatis; qui hanc penam fœderatis adscribat, ut omnium premiorum beneficiorumque nostrorum faciat expertes fœderatos!

Item 3. Philip. num. 27. O Cai

Ca-

ORATIO.

Cesar (adolescens appello) quam tu salutem Reip. attulisti, quam improvisam, quam repentinam! qui enim hæc fugiens fecerit, quid faceret insequens? Etenim dixerat, se custodem futurum urbis, usque ad Calendas Majas ad urbem exercitum habiturum. O præclarum custodem ovium, ut ajunt, Lupum! custosne urbis, an direptor & vexator esset Antonius?

Et pro Cluentio n. 108. O innocentiam Opiniaci singularem! quo in reo, qui absolvit, ambitiosus; qui distulit, cautus; qui condemnavit, constans existimatur.

EXERCITATIO.

Per laudatas supra Figuras.

Judas ad Fratres ne perire Josephum in Cisterna patiantur.

SYNOPSIS.

Exord. A B abrupto, petet ab ipsis, an non satis huic usque odiis indulserint, nisi ulterius iras promoveant.

Deinde ipsos deprecabitur, ne perire Josephum in Cisterna patiantur. Hæc autem erunt Deprecationis momenta. 1. Grævitatis sceleris, quod nihilo inferius videri debeat, quam si manus fratris sanguine cruentassent. 2. Tenera pueri ætas cui indulgeri aliquid possit. 3. Parentis dolor, cum peremptum fratrum scelere Josephum audiet; hic erit locus Exclamationi. 4. Judas ipse qui se Josephi patrum profiteretur.

3. Per Epiphonema, quasi ipsos minime commoveri sentiret, dicit tanti esse assuevisse odiis & invidiæ!

4. Per Execrationem funesta quæque ipsis comminabitur, nisi placidos sensus induant.

Denique per Orationem, orabit, ut Deus fratrum animos inflectat.

Actum est igitur; Fratres; peribit puer Josephus, neque ulla vos miseri fratris commiseratio duos atque intractabiles inflectet? Tamen nondum-ne satis veteribus odiis datum est? an non exsaturatus adhuc cupidus vindictæ, & invidiæ impotens animus? Placet ulterius iras persequi, ac nisi tetro in specu fame pereat infelix frater, quidquid admissum est hætenus, leve reputabitis? Per Deum immortalem! quæ ista vestra crudelitas est? quæ tam fera immanisque natura? quis tantus fuit odiorum furor, ut nisi fratris funere expleri nequeat?

Vos ego, per quidquid sanctum vobis formidandumque est, oro atque obtestor, mentem à tanto flagitio reflectite, nisi fortè expertes vos purosque sceleris arbitramini, quod puerum ipsi non peremistis? quod manus fraterna cæde abstinivistis? quod exhorruistis ad illud facinus, quod volentibus vobis ac jubentibus dira fames jamjam peraget? Sed quid ego hæc? sentio, veteres simultatum causæ etiam animum pungunt & extimulant; reus est Josephus, aut talis certè vobis visus est; sit ita sanè; nihil moror. Annumquid benè pueri infelicis gemitus, amaræ doloris indices lacrymæ, terribilis ipse propinquæ mortis metus, quidquid peccatum ab eo est, totum ex-

solvit? Si tamen quidpiam adhuc luendum restat, id annis, precor, indulgete, quod sceleri deberetur. Nolite, quæso, committere, ut fratrum invidia cecidisse Josephum patrens mihi vobisque amantissimus audiatur. O pater! infelix pater! quo sensu ferale nuncium accipies? quo vultu cruentam filii tunicam intuebere? quis erit doloris aut lacry-

marum modus, quoties tuo te Josepho orbatum memineras? filios in tanto scelere agnosces tuos? Et me, fratres, precantem rejicietis? nihil poterit apud vos infelix Juda? ah! finite potius vestrum furorem exarmet. Si nulli vos gemitus movent, nullæ lacrymæ placare possunt, vestrum & in me furorem acuite, condite me horrendo in specu, & ærumnosam hinc finire vitam cum fratre charissimo permittite.

Siletis! conticescitis! nemo vestrum respondet! Ita ne vos mulceri vel insecti pigeat? Tanti est, Fratres, assuevisse malis odiis, & impotentis invidiæ stimulis paruisse! Tamen nisi meliores sensus induitis, nisi æquiores vos Josepho fratri præstatis, nisi me bene monentem & ad saniora flectentem auditis, pertimescite, Fratres, debitas parricidis pœnas. Est aliquis Cælo Deus; is admitti scelus prohibet & admittum graviter plectit! Erit, erit, ne dubitate, dies illa, cum me precantem sprevisse vos pœniteat, cum ademptum fratrem Josephum lugebitis, cum imminens caputibus vestris periculum declinare nequicquam conabimini.

At tu, supreme rerum omnium arbiter ac moderator Deus, qui solo voluntatis tuæ nutu mortalium animos quamcumque in partem moves ac flectis. Utinam talem à fratribus perniciem avertas! utinam mutati per te studia in contraria se se ad servandum innocentem puerum convertant, & quod nullæ hactenus preces exorarunt, id tuum benignius aspirans Numen efficiat!

Deprecatio.

Epiphonema.

Execratio. & Communitio.

Oratio.

ALIA EXERCITATIO.

Per easdem Figuras.

Marcus Tullius Cicero Marci Tullii Ciceronis Filius, post interfectum ab Antonio parentem suum ad Cæsarem Augustum.

S Y N O P S I S .

Primo per Deprecationem obsecrabit Cæsarem ut pro Clementia succurrat miseris, pro fortitudine resistat improbis, pro æquitate scelus puniat.

2. Per Orationem dicet, utinam loqui posset ipse Cicero; quanquam truncum cadaver & muta lingua loquitur.

3. Per Execrationem, Dii te perdant, Antoni, qui cultorem Deorum, innocentia patronum occidisti! inolet in te Respublica, cui defensorem eripuisti, &c.

4. Per Epiphonema, ergo triumphabit sicarius! gement boni? Cæsare vindice.

Denique per Exclamationem, ô gloriosum te, Cæsare, si defensor Ciceronis extiteris, ô miseram ætatem nostram, si scelus impunitum viderit!

O R A T I O .

Periit infelix Tullius, periit, Auguste Cæsare, & devota jam pridem Antoni furoribus victima per summum nefas occubuit. Quid agam parente orbatum amantissimo? cujus implorabo præsidium in hoc rerum mearum discrimine, nisi, me, Cæsare, miseri parentis infortunatam sobolem à cruentis sceleris parricidæ manibus vindices?

Per ego te hanc dexteram, quam perditis ac jacentibus toties porrexisti; per singularem clementiam, quam vel reis ac nocentibus ultro ac volens impendis; per illam fortitudinem atque constantiam, qua nefarios improborum civium impetus contundis ac coarces; per summam æquitatem, qua prohibes scelus ac plectis, afflictam innocentiam

Deprecatio.

tuere; reprime infandi proditoris audaciam, & grassantem impune optimorum civium in vitam vim ac furoribus meritis, ut par est, pœnis ulciscere. Sentiatur extinctus pater aliquam humanitatis illius partem, quam ipse afflictis civibus, dum viveret, exoravit.

Atque utinam loqui posset pro se ipse, qui nemini misero vocem unquam abnuat! utinam illi fas esset suam apud te causam tueri, qui tam multorum, quos præsentibus hic intueor, patrocinium tam feliciter suscepit!

Quamquam, quid Ciceronis vocem requiro, ubi truncum ejusdem cadaver loquitur satis? ubi muta perorat lingua & Antoni flagitium ac nequitiam disertissime coarguit? Dii te perdant, sceleratissime parricida, qui cultorem Deorum impensissimum, innocentia patronum, desertæ virtutis ultorem ac vindicem occidisti! inolet in te Respublica, cui studiosissimum defensorem, custodem vigilantissimum, parentem amantissimum eripuisti! insurgat in te Cæsare ipse, neque à flagitioso capite sacras manus absteineat! ignosce, Cæsare, si vehementius loquar, quam Majestas tua patitur. At quis esse possit exostulandi modus, ubi nullum sceleris modum Antonius fecit? Tuum est, Cæsare, frenare præcipitem audaciam; tuum est sanctissimarum legum præsidio coercere improbitatem, & quam tanti flagitii atrocitas postulat, vindictam exercere.

Oratio.

Execratio.

Epiphonema.

Exclamatio.

tantum scelus videret impunitum! ô miseros, quotquot sunt, cives bonos, nisi parricidarum supplicio certum sibi adversus improbitatem patrocinium gratulari possent!

A R T I C U L U S I X .

De usu Figurarum.

Primo. Figurarum usus debet esse parcus & moderatus, ne crebra hujusmodi ornamentorum usurpatio tedium generet, aut puerilitatem redoleat. Distinguendum tamen est duplex Figurarum genus; primum earum, quæ tantum ornatum præ se non ferunt, quales sunt Interrogationes, Apostrophæ, Distributiones, &c. Alterum earum est, quas studiosius Oratoris industria persequitur, quales sunt Complexiones, Antitheses, Hypotiposes, Prosopopejæ, &c.

2. Primarum quidem usus frequentior esse potest; nihil enim apud Tullium crebrum magis, quam Interrogationes, Repetitiones, Distributiones, &c. quæ latentem magis ornatum habent. Quod verò spectat ad secundi generis Figuras; illæ nimirum sunt, quorum usus frequentior parere fastidium possit.

3. Nonnullæ Figuræ sunt, quæ adhiberi possunt in omnibus Orationis partibus, ut sunt Distributiones, Dubitationes, Communicationes, Apostrophæ, &c. Aliæ verò quæ singularum partium propriæ sunt. Quæ ad docendum valent, pertinent ad Exordium; quæ ad delectandum, ad confirmationem, & confutationem; quæ ad movendum, ad Perorationem. Quæ tamen non ita scrupulosè intelligenda sunt, ut non liceat aliquando ordinem hunc immutare.

4. Quæ.

4. Quædam Figure sunt, quæ statim initio usurpantur, ut Interrogationes, Apostrophæ, Distributiones, &c. Nonnullæ verò aliquam veluti præparationem requirunt, ut sunt Exclamationes, quæ non usurpantur, nisi post explicatas res graviores; Hypotiposes, Profopopejæ & similes, quas absurdum esset statim ab initio alicujus Orationis, vel Capituli adhibere.

5. Figure Verborum sunt hujusmodi, ut plus afferre tædii Orationi possint, quàm Figure Sententiarum, si illæ crebrius usurparentur.

Denique nulla re magis potest de Figurarum usu judicari, quàm frequenti Ciceronis lectione, qui Figuras suis quibusque locis sic accommodat, ut ad eadem pertractanda factæ quodam modo videantur.

LIBER QUARTUS.

De vi Oratoris seu de Inventione.

CAPUT PRIMUM.

Hactenus egimus de Elocutione Oratoria, de ejusdem Amplificatione, de Ornata sive de Figuris; nunc agendum nobis de Inventione & Probationibus, sine quibus, ut ait Cicero, Elocutio inanis est ac pœne puerilis.

Quid Inventionis nomine intelligitur, in qua vis Oratoris præcipua est?

R. Inventio est excogitatio rerum verarum aut verisimilium, quæ valeant tam ad faciendam fidem, quàm ad motus animorum excitandos. Argumentis utuntur Rhetores ad faciendam fidem, amplificatione ad motus excitandos.

Quid est Argumentum?

R. Est probabile inventum ad faciendam fidem.

Quid est Argumentatio?

R. Est argumenti ipsius fusior explicatio.

Unde quærenda sunt Argumenta?

R. Ex locis Oratoriis, quorum duplex est genus; alii qui ex ipsa re

ejusque quasi visceribus educuntur, & propterea appellantur Insi seu intrinsecus petiti, alii qui aliunde eruantur & nominantur extrinsecus accersiti.

Quot sunt Loci Oratorii in ipsa re insiti?

R. Sexdecim, Definitio, Enumeratio Partium, Notatio nominis, Conjugata, Genus, Forma, Similitudo, Dissimilitudo, Contraria, Repugnantia, Adjuncta, Antecedentia, Consequentia, Causæ, Effecta, Comparatio.

Quot sunt loci extra rem positi?

R. Sex, Præjudicia, Fama, Tabulæ, Jusjurandum, Tormenta, Testes.

Huc etiam pertinent Historia, Fabulæ, Leges, Sententiæ veterum, & similia; de quibus antequam agamus, res videntur exemplo demonstranda.

CAPUT II.

De Ratione errendi ex Locis Oratoriis Argumenti.

It illud Oratori Forensi propositum ut de Jurisprudencia ac Justitia dicat; ita Loci Oratorios alios post alios pervestigare poterit.

Locus à Definitione segetem uberem materiemque dicendi suppeditabit. Justitia enim est regnorum & imperiorum moderatrix, expultrix scelerum, virtutum conciliatrix, pacis alumna, concordie parens, &c.

Enumeratio partium subjiciet singulos regni Ordines quibus Justitia prodest, Regibus ad dignitatem, nobilibus ad splendorem, civibus ad concordiam, populis ad mutuam societatem, improbis ad frænum, militibus ad obedientiam, omnibus ad felicitatem.

Notatio Nominis hæc est; Justitia dicitur, quod jus suum cuique tribuat.

Conjugata. Qui Justitia præditus est, justus ille dicitur, justæque Rempublicam administrat.

Genus. Si ostendas justitiam complecti cæterarum virtutum dotes & ornamenta.

Species. Cum Justitiæ ipsius, quatenus singularis virtus est, laudes persequeris, seu qua mentem & voluntatem in bono dirigit, seu qua Deum ipsum, proximum, nosmetipsos spectat.

Causæ. Deum auctorem habet Justitia, cui similem facit hominem, qui imago est Divinitatis; ipsa etiam orbis perfectio est, cujus ad bonum tota dirigitur.

Effecta. Sunt ea quæ ex Justitia derivantur, pax, tranquillitas civium, pietas, Religionis cultus, vitiorum

extinctio, procreatio virtutum, & alia similia.

Antecedentia. Complectuntur ea naturæ præsidia & disciplinarum subsidia, quæ ad Jurisprudenciæ cognitionem, Justitiæque professionem requiruntur.

Consequentia. Vel coincidunt cum Effectis, vel continent laudes, quibus ille dignus est, qui hæc utraque facultate præstat.

Adjuncta. Sunt ea quæ cum Jurisprudencia societatem habent individuum, veluti studia Philosophiæ, Historiarum, Legum, Exemplorum, & totius antiquitatis notitia.

Repugnantia. Quomodo fieri potest, ut vir legum omnium scientiæ studens, aut earum cognitione præditus obnoxius sit communibus vitiis, ut otio, vitæ molliori & aliis.

Similitudo. Talis institui potest. Justitia inter cæteras virtutes solis instar obtinet; atque ut solis præsentia nimbos dissipat, sedat tempestates, campis segetes, arboribus fructus, herbis viriditatem parit, orbemque univèrsam efficit lætiorem; ita justitia imperiis tranquillitatem, pacem rebus publicis conciliat, &c.

Dissimilitudo. Ut gentes, quibus justitia non illuxit, feram traducunt & agrestem vitam; ita è contrario, qui hanc præcipuo studio colunt, cæteris humanitate præstant.

Comparatio. Si Fortitudo, Prudentia, cæteræque virtutes tot laudibus dignæ sunt atque præconiis, quarum est privato cujusque bono consulere; quid Justitia, quæ ipsum omnium commune bonum spectat, omnium utilitatibus prospicit, &c.

Contraria. Jurisprudencia hominum socordiam excutit, tollit Litterarum contemptum. Justitia verò sce-